

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Gratitudo siue graciaram actio p
cum fontibus proximo et primo

Nullum officium referenda gracia magis necessarium.

Nam si Hesiodus iubet reddere maiore mensura,
quam acceperis utenda,

quid debemus facere prouocati beneficio?

Imitari agros fertiles, qui multo plus reddunt, quam acceperunt.

Quia, si non dubitamus bona conferre hiis,

quos speramus nobis profuturos,

quales debemus esse in eos qui iam profuerunt?

Nam demus uel non demus, in nostra potestate est;

non reddere uero bono uiro non licet,

si absque iniuria id facere possit.

Seneca in quadam epistola.

Nullum officium referenda gratia magis necessarium.

Nam si Hesiodus iubet reddere maiore mensura

que acceperis utenda,

quid debemus facere prouocati beneficio?

Imitari agros fertiles qui multo plus afferunt quam acceperunt.

Quia si non dubitamus officia conferre his,

quos speramus nobis profuturos,

quales debemus esse in eos qui iam profuerunt?

Nam demus uel non demus, in nostra potestate est;

non reddere uero bono uiro non licet,

si absque iniuria id facere possit.

Pseudo-Guillemus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*,
I.B.2a_{II} (J. Holmberg ed., p.18, ll.4-11).

Sin erunt merita, ut non ineunda sed referenda sit gratia,
maior quaedam cura adhibenda est;

nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est.

← Quod si ea quae utenda acceperis maiore mensura,

→ si modo possis, iubet reddere. Hesiodus,

quidnam beneficio prouocati facere debemus?

An imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt quam acceperunt?

Etenim si in eos quos speramus

nobis profuturos non dubitamus officia conferre,

quales in eos esse debemus qui iam profuerunt?

Nam cum duo genera liberalitatis sint,

unum dandi beneficii, alterum reddendi,

demus necne in nostra potestate est,

non reddere viro bono

non licet, modo id facere possit sine iniuria.

Marcus Tullius Cicero, *De officiis*, 1.47-48 (M. Winterbottom ed.,
p.20, ll.8-20).